



SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De his qui res aduersas minimè sustinent, verùm animi imbecillitate
labora[n]t. cap. xcviij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)


Simile. affert afflictio. Quemadmodum enim fornax nullo incommodo aurum afficit: eodem modo calamitas nullam forti viro perniciem infert. Quidnam fornax auro puro facit? Quid item afflictio patienti animo eam ferenti? Imò verò sublimiorem eum reddit.

Basil. Commutationes ac pacta huiusmodi nobis cum Domino sunt. Etenim pro flagris, quæ corporibus nostris insurguntur, splendida vestis nobis efflorescet: pro ignominia, coronæ: pro carcere ac vinculis, paradysus: pro condemnatione cum facinorosis hominibus, angelorum societas.

xili. Patientia stude, per quam martyres exercitatos esse compertum habemus.

De his qui res aduersas minimè sustinent, verùm animi imbecillitate laborant.

CAP. XCVIII.

Pro.  **V**i pusillanimis est, admodum stultus est. Pusillanimum virum quis sustinebit?

Eccli. 2. **V**æ his qui perdidērunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias re-ctas. Et quid facient, cùm inspiciere cœperit Dominus?

Basil. Si aduersus conuitiatorem ira affectus fueris, ipsius probra cõfirmasti. Quid enim ira stultius? Si autem ab ira immunis manseris, eum, à quo contumelia lacesitus es, pudore atque ignominia affecisti, re ipsa nimirum pudicitiam ac temperantiam pro te ferens.

2. Reg. 16. Operæpretium est igitur nos optimorum exemplorũ recordatione furiosum ac vesanum animam motum compescere: id videlicet nobiscum reputantes, quam leuiter ac placidè beatus Dauid contumelias ac debacchationes Semei pertulerit. Non enim iracundia spatium sese mouendi dabat, cogitationem suam ad Deum transferens. Dominus enim, inquit, præcepit Semei vt malediceret Dauid. Quo factum est, vt cùm audiret, Vir sanguinum flagitiose, non illi succenseret, verùm seipsum deprimeret, tanquam meritis contumelias impetitus. Duo porro ista à te amputa, hoc est ita te compara, vt nec te ipsum vlla re amplius dignum censeas, nec hominem vllum dignitate longè te inferiorem esse existimes.

Remedia aduersus arrogantiam.
Mar. 10.
Io. 18.

Christus partim verbis, partim rebus atque exemplis patientiæ viam nobis monstrauit. Nam hæc ipsius verba sunt, Qui vult inter vos primus esse, erit omnium postremus: & ipse eum, à quo percussus est, placidè ac sine vlla animi commotione pertulit. Etenim is, qui cœli ac terræ conditor ac dominus est, qui ab omni mente prædita creatura adoratur, qui virtutis suæ verbo omnia portat, non eum, qui sibi colaphum impegit, viuum in infernũ misit (dehiscere videlicet impio homini terra) verùm his verbis ipsum admonerat & erudiebat, Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Nam si iuxta Domini mandatum omnium postremus atque in finem esse assuescas, nunquam excandesces, tanquam contumelia indignè lacesitus.

xili. Contemnere ac nolle sustinere, magnas ac varias calamitates affert.

Iob. 2. Stultitia est impatientem, minimeque fortem ac tolerantem in variis tentationum generibus se præbere. Id adeo tibi persuadeat his verbis Iob, Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.

De hospitalitate ac fraterno amore.

CAP. XCIX.

Gen. 18.



PARVIT Deus Abrahæ in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso seruore diei. Cùmque eleuasset oculos suos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & cõfortetur cor vestrum, & postea transibitis.

Vene-